



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

9 Quomodo censeatur quis causa damni negatiuè.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)



## DVBITATIO VII.

Quando plures sunt cause damni eque principales, vel eque secundaria, que videantur equaliter contulisse ad totum damnum, ad quid singula teneantur.

52 **R**espondeo Primò, Tenentur æquas portiones ad restitutionem damni conferre. Secundo, In defectum reliquorum, quisque tenetur in solidum. Tertio, Ei, qui prius soluit, tenetur reliqui, singuli pro sua parte. v.g. tres communi consilio incenderunt domum valentem 3000. aureorum, quisque tenetur conferre 1000. pro sua parte: si duo nolint, tertius tenetur in solidum; sed tunc habet ius exigendi 1000. ab utroque sociorum. Primum patet; quia cum eodem modo & æque principaliter ad damnum sint cooperati, equaliter tenentur ad eius reparationem; ac proinde æquis partibus. Secundum patet; quia quisque cooperatur ad totum damnum: ergo in defectum sociorum tenetur ad reparationem totius. Tertium patet; quia ius, quod habebat dominus exigendi a singulis partem, translatum est in eum, qui pro sociis satisfecit; non enim pro eis satisfecit, ut essent omnino liberi, sed quia illis nolentibus, tenebatur domino restitutionem procurare: ergo potest ab illis reperere, quod nomine illorum domino dedit, quodque ipsi dare debuissent. Confirmatur Primò, Quia in hoc rectè eorum negotium gessit, ac proinde ipsi ratum habere tenentur. Secundo, Quia dum nolunt soluere, non solum creditor, sed etiam socio iniuriam faciunt, cogentes eum soluere pro ipsis; ergo potest ab illis reperere. Tertio, Quia alias peior esset conditio eius, quem prius pœnit. Nec obstat, quòd ipse alios induxit ad damnum inferendum; quia si non impetrauit, nec coegit, nec induxit in sui gratiam, ut facerent, sed ob communem utilitatem; omnes censentur eodem gradu & loco cooperati: nec quicquam videtur totum onus damni in se recipere. vnde singuli ad suas portiones conferendas eodem gradu tenentur, ac proinde qui totum soluit, potest à ceteris suas partes exigere. Contrarium tenent Caietanus, Sotus, & Bañes supra; nempe eum, qui induxit alios, non posse exigere ab illis ut partes conferant, eò quòd ipsis sit causa damni, inducendo in societatem maleficij. Sed quod diximus est verius: quia non fecit illis iniuriam, sed volentes & consentientes induxit.

54 **Q**ui alios induxit.

55 Ex his sequitur, non esse vniuersè verum, quod docet Angelus v. Furtum, num. 16. *Vno solvente, ceteros non teneri illi refundere, nisi fuerint causa, sine qua ille, qui soluit, non fuisset inductus in crimen.* est enim hoc sit verum in principali auctore solvente, respectu executoris, & in executore respectu reliquorum, ut dictum est; non tamen est verum in duobus executoribus, vel consultoribus, vel laudatoribus, &c. quorum alter non induxit alterum in crimen: neque in laudante, consentiente, consultore, &c. quorum alius alium non induxit, sed tantum induxerunt executores. Fateor tamen, in foro externo non dari actionem in socios, propter commissum crimen; & hoc est quod significatur L. Si plures. 17. 7. de dolo, quam citat Angelus.

## DVBITATIO VIII.

Vtrum si is, qui damnum accepit, vni sociorum obligationem restituendi condonet, reliqui maneant liberi.

**R**espondeo & Dico Primò, Si condonet auctori principali; qui secundo loco tenebatur, manent liberi. Est comunis sententia DD. Patet; quia hæc remissio est instar solutionis: (vnde solet à Iurisperitis vocari acceptatio, quæ est imarginaria quædam solutio) atqui solvente eo qui primo loco tenebatur, ceteri manent liberi, ut patet ex dictis: ergo, &c. vide Medinam q. 8. dub. 3. & Sotum lib. 4. q. 7. art. 3. in fine.

Dico Secundo, Si remittat ei, qui secundo loco tenebatur, non idèo liberatur is, qui primo loco. Ratio est; quia obligatio principalis auctoris non pendet ex obligatione secundarij, sed contra. quo fit, ut secundario solvente, tenetur ei principalis ex integro; solvente autem principali auctore, secundarius nihil tenetur ei rependere.

Dico Tertio, Quando plures eodem gradu tenentur, (id est, æque primò, vel æque secundario) etsi vni perfecta fiat remissio, non idèo ceteri sunt liberi à suarum partium restitutione. Ratio est; quia obligatio vnius non pendet ab altero, sed omnes æque mediare vel immediate se habent ad damnum.

Sed difficultas est, quantum quisque debeat, si id, quod superest, in solidum sit compensandum, v.g. Titius, Stichus & Caius intulerunt damnum 300 aureorum, & Caius fit remissio.

Resp. Stichum & Titium debere suas partes, nempe vtrumque seorsim 100. Quòd si Titius noluit restituere, vel non possit, Stichus non tenebitur ad totam portionem Titij, sed solum ad dimidiam, nempe ad 50. vnde in vniuersum ut restitutionem faciat, non tenebitur nisi ad 150. non autem ad 200. vel 300. Ratio est; quia alterum dimidium portionis Stichij, qui non volebat vel non poterat restituere, ferre debet Caius, cui facta est remissio, nam eam ferre debuisset, si nulla remissio facta fuisset: atqui per remissionem non possunt socij grauari, sicut nec per solutionem. Itaque dum Caius fit remissio, triplex remissio ei fieri intelligenda est. Primò, Eius partis, quæ deberet, ceteris conspirantibus ad restitutionem, nempe 100. aureorum. Secundo, Partis, quam deberet, vno recusante restitutionem, nempe 150. si enim Stichus noluisse restituere, tunc Caius cum Titio debuisset restituere in solidum, collatis vtriusque 150. Tertio, Totius, quod debuisset soluere, utroque socio resolutionem recusante, nempe 300.

## DVBITATIO IX.

Quomodo confertur quis causa damni negative.

**R**espondeo, Si non impediatur damnum, dum Rex officia tenetur, hoc fit tribus modis, qui notantur his verbis, *mutus, non obstans, non manifestans.* Mutus dicitur, qui omittit præcipere, si erat Superior; consulere, si consultor; clamare aut strepitum



pitum edere, si erat custos rei, ad damnum impediendum. Non obfians dicitur, qui omittit opem vel operam, qua poterat damnum impedire, & quam ex officio tenebatur nauare, vt Principes, Magistratus, Præpositi viarum, & similes. Non manifestans dicitur, qui cum eo officio teneatur, omittit manifestare malefactorem, siue ante factum, quando damnum erat impediendum, siue post factum, quando sarcindum; vt custos rei custodiendæ deputatus. ita passim has causas explicant Sotus, Caiet. Siluest. Medina, & Nauarrus supra.

D V B I T A T I O X.

Vtrum qui hoc modo causa damni fuere, semper teneantur ad restitutionem.

63 Caietanus v. Restitutio, cap. 1. §. Aduerte, quod in his tribus; putat etiam eos teneri ad restitutionem, qui etsi ex officio non tenerentur, tamen tenebantur ratione articuli necessitatis; & facile poterant sine suo incommodo damnum impedire; vt si scias aliquos statuisse spoliare domum, vel occidere, & nisi indices, sequetur damnum. Ratio est; quia talis censetur causa illius damni, saltem indirecte; quod sufficit. Idem tenent Angelus v. Furtum, num. 26. & Richard. d. 15. art. 5. q. 4. & quidam alij, cum hac limitatione, si quod non impediatur, ex malo animo facias. Sed contraria sententia est communis, pro qua

Solus is, qui obligatur ex officio, tenetur ad restit.

Dico Primò, Neminem ratione damni non impediti teneri ad restitutionem, nisi ad hoc obligatus fuerit ex officio. colligitur hoc ex D. Thoma quest. 62. art. 7. ad 3. & docet Medina q. 9. Nauar. c. 17. num. 18. Couarr. ad reg. Peccatum, p. 2. §. 3. num. 5. qui dicunt hanc sententiam esse ferè communem. Ratio est; quia qui non obligatur ad impediendum ex officio, solum obligatur ex charitate: atqui violatio obligationis ex charitate lege nascentis, non inducit necessitatem sarcindendi damni; id enim proprium est vinculi iustitiæ, vt omnes tradunt.

Obiectio nes.

Dices Primò, cap. Quantæ, de sent. excommunic. Innocent. III. dicit, eos, qui consentiunt iniuriis violentis manus in Clericos; & eos qui iniuriunt, pari pena condemnari ab Ecclesia, nempe pena excommunicationis. Secundo, cap. Sicut dignum 6. de homicidio, Alexander II. ait: Qui potuit hominem liberare a morte, & non liberauit, occidit. Tertio, qui suadet alteri, ne impediatur furem vel latronem aggredientem aliquem, tenetur ad restitutionem: ergo etiam is, qui non impedit, dum facile potest.

65 Solutio.

Resp. Ad Primum, Innocentius ibi loquitur de iis, qui consentiunt vel non impediunt, cum ex officio teneantur impedire; vt exponit Glossa. quamquam non negauerim posse excommunicationem ferri etiam in talem, qui non tenetur ex officio. Inde tamen non sequitur, eum obligari ad restitutionem: nam propter peccatum mortale potest quis excommunicari, non tamen obligari ad restitutionem.

Ad Secundum. Dicitur occidere; sicut is, qui non pascit fame morientem; nempe culpa homicidij, vt est contra charitatem, non vt contra iustitiam. cap. Pasce, d. 87. ex Ambrosio.

66 Impediens defensionem.

Ad Tertium. Medina, concessio antecedente, negat consequentiam, & conatur ostendere, eum,

qui remotior est, interdum teneri, quando propinquior non tenetur. Sed ex dictis cap. 12. dubit. 18. colligitur, antecedens esse distinguendum: si enim is, qui suadet tibi ne latronem, qui inuadit innocentem, impediatur, id faciat sine vi aut fraude, non tenetur ad restitutionem, quamuis grauissimè peccet contra charitatem. Ratio est; quia non fecit contra aliquod Ius iustitiæ; quod alter habeat, sed solum contra charitatis debitum: ille enim innocens non habet Ius iustitiæ ad tuum auxilium, nisi quatenus in tua libera voluntate illud positum est. Vnde quamdiu libertas tuæ voluntatis non impeditur, non fit ei iniuria. Si tamen vi aut fraude impeditur, tunc veram ei iniuriam irrogaret.

Ad rationem initio allatam pro sententia Caietani, Respondeo. Eum, qui tali modo est causa damni, solum esse causam priuatiuam; quæ cum nullo modo influat in effectum, non tenetur ad restitutionem; nisi ex officio obligata fuerit ad impediendum. si enim solum ex charitate teneatur, solum contra charitatem peccabit.

Sed quid si fur det tibi aliquid, ne impediatur ipsius furtum, clamando vel manifestando, teneberisne ad restitutionem.

Resp. Primò, Te non teneri ad restitutionem pretij, nisi forte sit pars furti. hanc enim teneris restituere, ratione rei acceptæ.

67

Secundò, Quod ad compensationem damni atinet, Sotus l. 4. q. 7. ar. 3. putat te etiam non teneri: quod probatur Primò, Quia non ideo magis obligaris ad impediendum, quod pretium acceperis vt non impediatur. Secundò, Quia recipiendo illud pretium, non facis iniuriam ei, quem fur parat inuadere: sicut non facis iniuriam, dum precibus tibi persuaderi sinis, ne maleficium impediatur.

68 Si fur det pecuniam, ne impediatur.

Contrarium videtur, verius, quod tenet Petrus Nauarra l. 3. cap. 4. nu. 132. & Salonijs pag. 273. Ratio est; quia hic non solum est non impeditio, sed etiam actus positiuus, quo animat furem: sine quo vel non fecisset, vel non tam audacter & securè fecisset. Aliud enim est, non impedire; aliud, externo aliquo signo animare & securiorem reddere: accipiendo autem pretium, videtur spondere securitatem. Quod si solum non impeditur, non teneretur, etiam si pretium accepisset, vt bene probant argumenta.

Dico Secundo, Omnes, qui obligantur ex officio impedire damnum alterius, si id ex culpa graui negligant, tenentur ad restitutionem. Est ex officio communis sententia Doctorum. Probatur; quia illi ex Iustitia debent illum actum impeditiois damni: ergo ommissio eius est contra iustitiam: ergo si ex illa ommissione sequatur damnum, omittens est causa illius damni contra iustitiam. Consequentia patet, quia sicut damnum, quod sequitur ex iniusta commissione, est iniustum: ita etiam quod sequitur ex iniusta ommissione. Vnde sicut teneris ad reparationem damni, quod alteri datur ex opere tuo, contra Ius ipsius facti, seu contra Iustitiæ debitum commissio; ita etiam teneris ad illud, quod datur ex ommissione, quæ sit contra Ius ipsius, seu contra debitum, quo ipsi obligaris. quo modo debitor tenetur creditori ad interesse, quod sequitur ex non præstita solutione debita, vt rectè Medina quæst. 9.

69 Omnes qui ex officio tenentur.

Ex his inferitur Primò, Principes, Magistratus, Prætores & Duces belli, teneri ad restitutionem, si omit-

70 Magistratum, &c.